
EPISTOLA PASTORALIS

AD CLERUM POPULUMQUE

GUASTALLENSEM



ROMÆ

EX ATHENEO TYPOGRAPHICO

Via vulgo - *Corso* - N. 387.

MDCCCLV.

Digitized by Google

Digitized by Google

PETRUS ROTA

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

SANCTÆ GUASTALLENSIS ECCLESIÆ

EPISCOPUS

CLERO AC POPULO SUAE DIOECESIS

Veluti si mare fluctibus iam detumescentibus, et quiescente iam vento placidum prosternat nautis iter, et postea subito dira insurgens tempestas in summum illos deducat periculum, et insueta concutiat formidine pectora, quae nimium credula infido sese dederunt elemento, hinc abyssi profunda aequore dehiscente recludens, illinc navim ad scopulos singulis prope momentis allidere minitando: non aliter ego, qui navim et mare deserens, insignis nempe Corrigiensis Civitatis Paraeciae gubernacula pericula fugiens dimiseram, et ad portum libens me receperam, optimi et amatissimi mei Praesulis ac patris Petri Raffaellii Regiensis Antistitis vocem prompto ac hilari animo sequens, qui me licet immeritum ad sacri sui Seminarii regimen advocaverat, inter quieta et tranquilla huius muneris officia inopinata voce perterritus fui, quae ita auribus meis intonuit: *surge, iam tibi longa restat via.* Heu! quis est, qui me a tam dulci cura abstrahit, qui a meis tam caris alumnis dividit, qui a praeclarissimis maximi Regiensis templi Consacerdotibus, et in Canonicali officio collegis me tam acerbe dissociat? Ah! *Domine, audivi auditionem tuam et timui: a verbis tuis trepidavit cor meum.* Deus, Deus ipse, ut mihi credere unice solatii est, Deus ipse, o Fratres et Filii carissimi, qui *infirma mundi, et ignobilia eligit,* ut portum relinquerem, et

Digitized by Google

iterum me mari committerem verbo suo, cui resistere nefas est, imperavit. Et certe nonnisi Dei verbum et nutum mihi fas est agnoscere in illo inopinato praecepto, quo ad Urbem statim vocabar, et statim nulla interiecta mora, quia *iussio Regis urgebat.* Ergo ne iterum mari me credam? iterum pericula navigationis subibo? nec amplius parvae piscatoriae navis cura mihi gerenda, sed magni navigii, et primi navicularii partes assumendo temonem regam per maris fluctus forsan his temporibus furiosius debacchantes? Ita quidem, quia summus Ecclesiae Rector primi mystici huius navigii ductoris successor et haeres, etsi meam respiceret humilitatem et inhabilitatem hanc mihi curam demandare decrevit. Qui mihi nunc sensus! qualis et timor et tremor! Iam repudiata sarcina Episcopatus fugiens me elongare voluissem; sed suasionibus amicorum, quos patres appellare magis mihi convenit, erectus, et praesertim ante supremum animarum Pastorem sub sacramento degentem anima prius effusa, et consilio et ope enixe implorata . . . . quid dicam? ego non honoribus allectus, nec nova Principis humanissimi benignitate in superbiam elatus, nec satis forsan periculis perpensis, iam me divinae tradidi Providentiae quocumque vellet deducendum, una hac cogitatione recreatus, quod, cum mihi hunc honorem ipse non sumpserim, credere inde firmius liceret me vocatum ab Illo, cuius est mittere operarios in vineam suam, a quo unice eligendi qui mittendi sunt, qui nobis serentibus et rigantibus unus potest nostris dare incrementa laboribus, sine quo nihil nos servi inutiles facturi sumus, cuius gratia e contra suffulti valemus cum Apostolo exclamare: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Utinam ergo det virtutem qui contulit dignitatem, ut gradus elevatio non impellat ad ruinam, sed vires potius augendo gratiam conferat cursum feliciter consummandi, fidem servandi, labores omnes, qui pro animarum salute necessarii fuerint, hilariter suscipiendi; ut possimus cum eodem Apostolo aequali fiducia in extremo vitae momento dicere: *in reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus iustus iudex.* Et certe non alia mens mihi nunc est, non alius animus ad vos me perducit, o fratres et filii dilectissimi, quam ut omnes cogitationes meas vestrae dicem sa-

Digitized by Google

luti. Non honoris ambitio, non census augendi cupiditas, cuius exiguitatem cum usque adhuc passus fuerim, imposterum aequo animo patiar, imo et diligentius custodiam, non propriis commodis indulgendi amor, aut quietam ac beatam vitam ducendi me tangit; sed ardens studium vestrae salutis, pro qua nec periculis territus, nec laboribus parcens, nec ulla officia, licet abiectiora, respuendo, diu noctuque vires meas omnes *impendam, et superimpendar ipse.* En ego me totum ad Dei gloriam curandam et pro viribus augendam trado, me totum pro Ecclesiae meae incremento addico, me totum pro vestris commodis, pro aeterna vestra beatitate sacrifico. Ex quo per impositionem manuum Emi Principis venit super me, ut sperare licet, gratia Spiritus Sancti, et Episcopali charactere sum auctus et insignitus, iam non amplius sum meus. Iam meis commodis, meae quieti valedixi, et totum divino servitio et vestrae saluti me mancipavi, gravitatem oneris Angelicis humeris etiam formidandi iam perpendens, sed non detrectans.

Quod si ego hunc animum gerens ad vos venio, quid est quod a vobis opto, imo enixe peto, fratres et filii carissimi? Hoc unum, hoc unum: non ut obsequia servitutis, quasi dominari velim in clerum, a vobis exquiram arroganter, quia *non veni ministrari sed ministrare;* sed ut Christi personam in me, licet indigno eius ministro, agnoscentes eius vocem per me vobis loquentem promptis auribus audientes, firmi in fide et dilectione Dei et proximi vestram salutem operemini: hoc unum, ut ad salutis portum, quo vos adducere omni nisu et conatu curabo, vos quoque contendere studeatis. Oh si daretur vos omnes, quos iam ex hac hora in corde porto et vehementi diligo affectu, quos videre et amplexari quamprimum cupio, et os ad os loqui, et vobiscum de laetis gaudere, de tristibus rebus vestris tristari, et his pro posse mederi, sin autem ad minus vos solari; oh si daretur vos omnes una simul aliquando, ubi fletus omnis abest et dolor, videre et amplecti, et perpetua simul post huius saeculi turbas perfectaque pace gaudere!

Quod ut iuxta vota feliciter eveniat, ad vos in primis mea verba dirigam, vos alloquar Ecclesiae iam meae lumen decus et

Digitized by Google

gloria, meus iam futuri senatus, quorum consilia et opera maximi mihi erunt in regenda Dioecesi et auxilii et solatii, vos Dignitates et Canonici Cathedralis Ecclesiae Guastallensis, qui sicut coeteris e Clero dignitate praestatis, ita etiam scientia virtutibus et aliis ecclesiastico ordini congruentibus dotibus iam omnes superatis. Non ego vos hortabor, ut decorem domus Dei magis ac magis diligatis ac curetis, non ut Dei laudes et cultum et attentius celebretis et studiosius augeatis, non ut reminiscamini vos esse lucem mundi et sal terrae. Iam scio id nunquam ex mente vestra excidisse et nunquam excessurum. Eia agite ergo, et semper meliora charismata aemulantes, ascensiones in corde vestro disponentes ite iam de virtute in virtutem, donec videatis Deum Deorum in Sion. O Vos felices et felix Ecclesia Guastallensis! O me beatum, si talium semper ero fratrum corona circumdatus, cum quibus et communia inire consilia, et labores partiri et saluti animarum toto corde et totis viribus incumbere liceat.

Cui rei cum illorum opera mihi in primis necessaria sit, qui in partem pastoralis sollicitudinis sunt acciti; hinc est quod ad vos verba mea diriguntur, qui Pastoris officio erga gregem vobis commissum, quem ex hoc momento meum etiam appellare et dulce et necessarium erit, tanto zelo perfuncti iam estis, et in praesens fungimini. Vos pascentes oves vestras non coacte sed spontanee, forma facti gregis ex animo, ad salubria semper coelestis doctrinae pabula constanter et infatigabiliter ducitis. O utinam semper illarum utilitati, non vestris commodis prospiciatis, non lac et lanam ovium quaeratis, sed spiritualem earumdem salutem pro viribus curetis. Veniet, veniet tempus, nec multum, ut spero, distabit, quo mihi licebit vestrae meam adiungere sollicitudinem et curam; veniet, veniet tempus, quo nihil ob id elatus quod me rectorem posuerint, sed quasi unus ex vobis communium filiorum simul medebimur infirmitatibus, sollicitis in via Domini stimulos adiiciemus, ut currant, remorantes et pigros e somno excitabimus, ut propriae saluti evigilent, et divini verbi tuba excutiemus, ut iter aggrediantur et ambulent, dum adhuc sol splendet, antequam illos tenebrae comprehendant: simul consolabimur afflictos, pascemus egenos, vestiemus nudos, in omnibus,

Digitized by Google

Deo ipso dante, fideles nos exhibebimus Christi ministros, hac tantum inter me et vos differentia interiecta, quod si quid durum, si quid asperum, si quid difficile in tam laborioso ministerio occurrerit, ego pro mea parte, cum meos humeros imprimis pastorale gravet onus, iure ac merito sumam, totum me futurum promittens in oneribus vestris levandis, in vestris afflictionibus solandis, socius laboris, ut vestrae particeps coronae tandem efficiar. Pergite, pergite in munere vestro tam laudabiliter fungendo, ut ad iustitiam multos erudientes quasi stellae fulgeatis in perpetuas aeternitates. Eia, macti animo estote, quia princeps pastorum Iesus ministros suos, ubi ille est, et illos se illuc adducturum promisit, et iam pro exantlatis laboribus, pro doloribus et morte tolerata in gloria Patris sui scitis illum perpetuo nunc triumphantem regnare. Macti animo estote, servi boni et fideles, quia Dominus super multa vos constituendos esse asseruit, et in gaudium suum vos intraturos iuramento affirmavit. Quid ergo timebitis? laboresne non raro incassos, sudores frustra non semel effusos, malorum repugnantiam, iniquorum persecutiones? Non haec timere nos docuit dux princeps imperator noster Christus Iesus: *cum vos oderint homines,* inquit ille, *et persecuti vos fuerint, gaudete et exultate.* Sed quomodo gaudebimus, cum videamus verba nostra contemni, imo verbum Dei, quod deplorabilius est, aspernari; et similes sint homines generationis huius iis, quos pueri sedentes in foro sic olim alloquebantur: *cantavimus vobis, et non saltastis; lamentavimus, et non plorastis?* Gaudete nihilominus, gaudete, quoniam his non obstantibus merces vestra multa iam erit in coelis; cum Dominus noster affectum potius penset, quam opus, et quantum quisque laboris in vinea sua impenderit, non quantum retulerit fructus.

Et huius iam abundantissimae mercedis, huius aeterni gloriae ponderis, cum in domo Patris nostri mansiones multae sint, participes vos etiam eritis, o venerabiles Christi Sacerdotes, qui Pastoribus in cura gregis opem et auxilium praestatis, qui peccatoribus Deo per poenitentiam reconciliandis ministris estis, qui e vita decedentibus extrema subsidia praebetis, qui ad litteras et scientias, et maxime ad pietatem iuventutem sedulo informa-

Digitized by Google

tis, vos omnes qui in domo Dei aliqua, augusta omnia et sublimia, licet imparia, officia exercetis, si fideles in ministrando, operosi in laborando, patientes in tolerando usque in finem perseverabitis. O pergite etiam in vinea hac excolenda, quia largus et profusus est Dominus eius in retribuendo. Pergite, et vestra solertia, vestra indefessa cura adolescentibus erit exemplo, qui vel clericali militiae iam nomen dederunt, vel hinc inter soeculi curas et illinc sanctuarii servitutem portionem suam sunt electuri, ut cognoscant se non ad otium adsumi, non ad commodiorem vitae rationem, non ad parentum utilitatem, sed ad labores pro Dei gloria et animarum salute alacriter suscipiendos, constanter perferendos, vires omnes suas, vitamque ipsam, si necesse fuerit, pro tam sancta et nobili causa profundere non abnuentes. O utinam multi hac pia et sancta ducti intentione nostrae coelestis militiae vexilla amplectentur? O utinam plurimi acri praediti ingenio, sanctisque moribus ornati, soeculi vanitatibus vale dicto, in domo Dei eligant habitare, abiecti, si placet, iuxta insipientium hominum sententiam, sed summo habendi honore apud Deum ipsum, in quo uno nos oportet gloriari. Quod ut ad nostrae Ecclesiae decus et animarum meae curae commissarum bonum citius quam fieri possit eveniat, sacras aedes ad instituendam in litteris et pietate iuventutem, quae ecclesiasticis muneribus se mancipare peroptat, iam, ut accepi, refectas et amplificatas, aperire primae meae curae erit, et ut sacrosanti Tridentini Concilii decretis quamprimum obsequar, et ut iuniores clerici a teneris annis « ita vitam moresque suos omnes componant, ut cum ab « secreto hoc recessu ad mysticos Ecclesiae agros translati fue- « rint habitu gestu incessu sermone, aliisque omnibus rebus nil « nisi grave moderatum, ac religione plenum prae se ferant... « et eorum actiones cunctis afferant venerationem » *(Trid. S. 22 c. 1 de Ref.)*

Sed cum non omnia omnes possint, nec omnes verbum illud capiant quod ad perfectius vitae institutum invitat, reliqui non erunt negligendi iuvenes, qui aliam vitae rationem non abdicatis saeculi negotiis ingrediuntur. Non illi inquam negligendi, imo sedulo curandi, omni arte ac studio ad pietatem alliciendi,

quia tota vitae ratio a iuvenili aetate non raro dependet, *cum adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedat ab ea.* Igitur et vos iuvenes utriusque sexus, quos iam ex hac hora ut filios meos carissimos amo et diligo, vehementer hortor ut animae munditiem et innocentiam perquam diligentissime custodientes, cito ad virtutem et pietatem assuescatis; quia *bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua.* Vos autem, qui tam delicatum, tamque Deo carum munus suscepistis informandae ad virtutem iuventutis, hoc semper mente cogitate, hoc prae oculis semper habete, quanta benignitate Salvator noster pueros exceperit, quanta promiserit illis, qui curam iuvenum gerunt, cum pollicitus sit se tamquam sibi factum habiturum quidquid minimis ex illis eius intuitu praestiterimus. Mementote difficilem vos intrasse palaestram, cum Chrysostomus dicat: « quid maius quam « animis moderari, quam adolescentulorum fingere mores? Omni « certe pictore, omni certe statuario, caeterisque huiusmodi omni« bus excellentiorem hunc duco, qui iuvenum animos fingere « non ignorat ». Quapropter ulli ne parcite studio, ut aptiora media ad tam nobilissimum finem assequendum eligatis, semper in animo habentes, non ut elegantiores pueri, sed ut moratiores evadant, non ut prudentia terrena, sed ut christiana sapientia polleant, qua si bene instructi fuerint et ornati, nulla eis deerit res, quominus omnibus etiam urbanitatis officiis, quantum discreto viro opus est, satisfaciant.

Clero saeculari veluti auxiliares copias scio iam totis viribus suppetias ferre Familiam Minoriticam ab Observantia nuncupatam; scio, et mihi et gregi meo laetor quamplurimum, firmiter tenens eius operam nunquam mihi imposterum defuturam. Quare vos etiam, etsi corpore absens, spiritu tamen praesens dilatatis caritatis visceribus intra meum sinum amplector, O seraphici Patris obsequentissimi Filii, meque et gregem meum vestris orationibus commendo. O quam pergratum mihi erit, cum curis pastoralibus distentus laboribusque fessus, si inter vos mihi licebit spirituali recreari solatio et ad maiora aggredienda Sanctissimi Patris exemplis in filiis continenter renovatis excitatus, animum et vires sumere! Orate, orate interim, ut Deus et Dominus, sin

Digitized by Google

duplicem spiritum, cuius tamen necessitatem pro tam gravibus muniis obeundis haberem, saltem portionem aliquam perquam abundantem illius zeli, quo praeditus fuit vester ille Pater Seraphicus, ut et ego sin stigmata, saltem *mortificationem Iesu in corpore meo iugiter circumferam,* ut unice scire aveam *Christum et hunc crucifixum,* ut *mihi mundus crucifixus sit, et ego mundo.*

Quod ut Deus mihi pro sua benignitate concedere dignetur, vestras quaeso adiungite preces, altera Assisinatis Legiferi familia Monialium Capuccinarum, cuius bonus virtutis odor tam longe lateque fragrantiam suam diffundit. Vere hortus conclusus et fons signatus domus vestra dici potest, hortus ubi tam lubentissime moram facit ille Agnus, *qui pascitur inter lilia.* O utinam *emissionis huius hortus* sint semper *emissiones paradisi!* Et ita profecto erit, si vigor disciplinae numquam lentescat, si severa custodia profanas novitates saecularesque rumores semper arceat, si velut Apes industriosae ad mel et favum devotionis elaborandum unice intentae poteritis omnes cum veritate exclamare cum Sponsa: *Dilectus meus mihi, et ego illi = ego dilecto meo, et ad me conversio eius = poma nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi.* Et ita odor saltem vestimentorum vestrorum, sicut odor thuris perflante Austro hortum vestrum, extrinsecus etiam fluet, cum inde exient optimis imbutae moribus, et adhuc primaeva ornatae innocentia felices illae puellae, quibus contigit intra istius coenobii septa, inter tot virtutum exempla adolescere, et ad omnem pietatem enutriri. O utinam multis ita contingeret in infantia sua ali et institui! Sed quia non omnibus tale ac tantum beneficium impertiri potest, saltem vestris precibus enixe a Deo postulate, ut ea quae pro utriusque sexus adolescentibus ad illorum educationem aggredi est in animo, ad felicem etiam exitum perducere valeam.

Sed ad haec exequenda opus est parentum opera et auxilio, quibus in primis gravissimum hoc onus prolis educandae incumbit. Quapropter vos obtestor in Domino, quotquot estis quos *Pater Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur,* suo in procreandis hominibus officio consociavit, ut tenella haec germina iterum tam diligenter parturire gestiatis

Digitized by Google

donec formetur Christus in illis, sine quo parum illis nasci profuisset. Filios quoque, Apostoli vestigiis inhaerendo, moneo, ut *parentibus suis obediant in Domino.* Omnes tandem vos uno verbo, quos meae curae divina Providentia commisit, omnes hortor et oro, ut firmi in fide, quam a patribus vestris accepistis, semper maneatis, numquam praebentes aures magistris illis, qui perversa loquuntur docentes quae non oportet, semper constanter adhaerentes columnae et firmamento veritatis, Ecclesiae nempe illi catholicae, quae universum dispersa per orbem uni Petri Cathedrae ex omnibus terrae partibus consociatur, aedificata super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, praecipue super illam petram, contra quam *portae inferi nunquam praevalebunt. Sic state in Domino semper,* Carissimi, Ecclesiae praeceptis quam diligentissime obtemperantes, memoria frequenter illud revolventes: *qui vos audit, me audit; qui vos spernit me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me:* nec non et illud: *qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.* Hoc unum vobis commendatum volo ab hac prima vice, qua vos paterna alloqui caritate ut filios mihi concessum est, hoc unum, quod si fiat sufficit. Ecclesiae enim vocem audientes omnia etiam peragetis quaecumque Dominus et Redemptor noster servari mandavit nobis.

Igitur non leges tantum et praecepta Dei diligenter custodietis, si Ecclesiae monitis facilem praebueritis auditum, sed hominum etiam leges, illorum scilicet, qui in sublimitate sunt positi, prompto ac hilari animo observabitis, cum Ecclesia ipsa Apostoli verba usurpando omnibus inclamet: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt..... Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Quae cum ita sint utinam saperent, et intelligerent omnes, qui iudicant terram, utinam persuasum haberent maiorem legibus suis firmitatem conciliare non posse, quam si divinam Ecclesiae potestatem propria fulcire auctoritate, et populis venerabiliorem reddere reverentia et observantia sua

Digitized by Google

satagant, cum nullibi civiles leges sint pluris faciendae, quam ubi Ecclesia suam liberius explicat a Christo mutuatam potestatem. Quapropter congaudere mihi licet, quia in ea civitate sacro sum potitus principatu, ubi excellentissimi Magistratus sive in re publica administranda, sive in eadem armis tuenda, sive in iustitia aequa lance pendenda, sive in quibuscumque aliis publicis exercendis muneribus omnes sicut obsequentissimi Ecclesiae filii in exemplum se gerunt. Ita pergite, Filii carissimi, illustrior mei gregis portio, a quibus confido me ope et auctoritate auxiliatum iri; ita pergite; et ego interim *fieri obsecrationes* exposco iuxta Apostoli praeceptum *pro vobis, ut quietam et tranquillam vitam agamus* omnibus cum B. Petro praecipiendo: *subiecti estote omni humanae creaturae propter Deum, sive Regi quasi praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis.* Quod si ab omnibus, qui vere catholici, non nomine tenus, sint, id merito praestandum est, quanto magis a vobis, quibus contigit reipublicae froena moderari sub tali Principe, qui sin imperii vastitate, magnitudine tamen animi, zelo Catholicae Religionis, devotione erga Sedem Apostolicam, Constantinum ac Theodosium aemulatur! O utinam diu pro fidei Christianae incremento et populorum felicitate Deus illum servet incolumem.

Sed finem tandem loquendi licet aegre et invito animo me facere oportet. Ast prius una simul mentem ad Deum elevemus, ut *idipsum omnes det sapere, et coelestium mandatorum viam alacriter currere, cum dilataverit ipse cor nostrum: et quoniam advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, cum ipse sit unus mediator Dei et hominum, adeamus cum fiducia per ipsum ad thronum gratiae, ut auxilium inveniamus in tempore opportuno.* Sed et mediatricem habemus apud Christum augustissimam coelorum Reginam, intemeratam Verbi Incarnati Matrem, beatissimam virginem Mariam. Quaeramus ergo per illam gratiam, quae non sibi tantum, sed pro nobis etiam gratiam apud Deum invenit. Haec est Mater illa clementissima, cuius clementiae nos Filius ipse suus primogenitus commisit, cum in cruce pro nobis moriturus in persona discipuli, quem diligebat loco sui nos commendavit; et ex illa hora inter summas doloris angustias piissima haec Mater nos

Digitized by Google

genuit, nos in filios recepit, nosque usque adhuc et fovit et dilexit. Quid non sperare licebit, si matrem potentissimam, quae in coelo non orat sed imperat, cui nedum Angeli et Archangeli famulantur, sed et Filius ipse, qui eam super omnes alias creaturas diligit, obsequitur, quid non sperare licebit, si eam toto corde et sincera devotione colamus, si firma fiducia invocemus? Sed ut illius patrocinio, quod omnipotens appellare non dubitabo, frui nobis contingat, ut materni amoris eius sentiamus effectum, sic decet nos vivere, ut filii tantae matris non simus indigni. Novum ei accessit nunc decus, nova illa est redimita corona, cum primaevae labis expertem, ut omnium erat in votis, decretoria sententia summus Ecclesiae Pontifex Pius IX toto orbe plaudente, nostra hac aetate sancivit. Et iam laetitia, quae omnium animos mirifice invasit, adhuc perdurat: iam huius tam vehementis gaudii signa gestiens clerus et populus, templis novo cultu ornatis, facibus innumeris ad purissimae Virginis aram accensis, simulacris illius per urbes et oppida triumphali pompa deductis, dare non destitit, neque tam cito intermittet. Sed ad eius patrocinium emerendum num satis erit, si intellectum in Pontificii decreti obsequium captivantes nostram cum Ecclesia Catholica vocem extollamus, eamque sine labe conceptam corde credamus, ore proclamemus? Ah! extollamus manus sed puras, ore clamemus sed corde mundo, purissimam hanc matrem speculum nunc vere sine macula puris mentibus et vitae sanctitate colamus. Quod si testimonium nobis reddat conscientia nostra, quod cor et anima a tam excellenti Virginis almae puritate nimis distent, illam nihilominus invocemus, quae refugium dicitur, et est revera, peccatorum; sed corde vehementi de admissis dolore sauciato; sed animo novam vitam iam instituere satagenti: et tunc ne dubitemus, quin ipsa nos Filio suo reconciliet, et veniam sincere quaerentibus exoret, et indubitanter obtineat.

Quin et coelestes patronos Apostolorum Principem, cui nostra sacra est Cathedralis, et Assisinatem Franciscum, in cuius tutelam vestra se civitas dedit, totamque Beatorum Curiam enixe rogate, ut quos hic habemus protectores, eorum intercedente patrocinio socios detur habere perpetuos in illa coelesti patria, ad

Digitized by Google

quam assequendam et exemplo suo nos provocant, et monitis dirigunt, et precibus adiuvant. Orate, dilectissimi, orate, quia *quidquid orantes petitis fiet vobis.* Non ego haec tam ampla facio promissa, sed ille ipse qui, quod promittit, pro sua benignissima omnipotenti voluntate valet ultro adimplere. Orate, quia *oportet semper orare, et nunquam deficere.* Orate, *petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis.* Orate in primis pro summo in terris Christi Vicario Pio IX qui me immeritum ad hanc Guastallensem Cathedram evexit, orate ut, quam usque adhuc ostendit, modestia in prosperis, constantia in adversis, in utraque fortuna aequanimitas, humilitas inter honores, patientia in iniuriis, clementia in inimicos, munificentia in aegenos, comitas in omnes, virtutes uno verbo eximiae, quibus toto orbe iam admirante praefulget, numquam illum deserant, cum nunquam eheu! fortasse sit defutura illarum exercendarum necessitas. Eheu nimis etiam in praesens mare iam fervet, et Petri navim furentes fluctus agitant vehementer! Scimus equidem iactari posse, non mergi; sed mergi infeliciter possunt qui maris fluctibus transvehuntur naufragium in fide facientes. Oremus ergo ut tanta Deus prudentia et constantia cor magni PII semper muniat et firmet, ut inter syrtes et scopulos, inter ventos et procellas recto semper tramite navim perducat incolumem, et nullus pereat ex illis qui mare iam findunt *in hac Noe arca, extra quam qui fuerit inventus, peribit durante diluvio.*

Preces vestrae etiam ad Deum extollantur pro religiosissimo Principe nostro Francisco V, qui nullis meis meritis sed clementiae suae benignitate me ultimum ex suis subditis, si fortunae bona, si generis humilitas, si animi dotes, si nullus virtutum splendor perpendatur, sed inter primos numerandum si devotio et fides erga solium eius legittimamque auctoritatem, me inquam communi christianorum Patri designavit, ut patrem et pastorem vestrum constitueret: et extollantur etiam pro Augustissima foemina, eiusdem sanctissima coniuge, Aldegunde, et pro tota Regali Familia, ut omnes Deus in pace custodiat, diuturnum illis concedat imperium, ut felices hi populi tam leni fraeno gubernati, tam illustribus virtutum exemplis incensi, tanto religionis zelo

Digitized by Google

ad omnem pietatem inflammati perpetua pace fruantur, in sanctis operibus exerceantur; et cum se paterno sentiant regi imperio, uti filios dociles et obsequentes ad optimi Principis solatium et levamen assidue se gerant. Et etiam Emo et Rmo Principi Constantino Patrizio S. R. E. Cardinali amplissimo et SS.mi D. N. Pii Pp. IX Vicario, qui mihi manus imposuit sacroque Chrismate linivit, fausta omnia precamini, ut virtutes, quibus est insignitus, semper in dies augeantur, ut optimo Christianorum Patri cum reliquo amplissimo Senatu sit semper auxilio et solatio. Tandem pro me indignissimo orate, ut cum onus vestrae curandae salutis susceperim, meae nunquam obliviscar, neque *cum aliis praedicavero, ipse reprobus efficiar*. Et interim dum veniat tempus vos videndi et paterno affectu amplexandi, pignus ardentissimi amoris pastoralem meam benedictionem vobis praemitto.

Datum Romae extra Portam Flaminiam VIII *Kalend. Aprilis Anni* MDCCCLV *ipsa die meae Consecrationis.*

PETRUS EPISCOPUS

5834612

Digitized by Google

Digitized by Google